



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**

*Quatuorvi-  
ri se partiū  
plebis simu-  
lant.*

*Iterum Sa-  
xones invo-  
cantur.*

*Saxonū ad  
cōmunita-  
tem literæ.*

*Communita-  
tati suspectæ*

qui vitam & bona pro communitate non offerebat, hostis judicabatur. † Quatuor viros atrocior metus pressit, peculiariter constitutos, ut commoda plebis observarent, illi autem duplici delicto cum Senatu facultates Urbis prodegerant, & civitatis damna supprefferant. Igitur ut plebem lenirent, se pro communitate, cujus beneficio Curiam tenerent, publice declarant: sed verba, non fidem timor expresserat. Recepti à plebe, cum tantum æs alienum communitati non manifestârint interrogantur, illi concussionem prætendunt, & metum Senatûs. Crescente cum mora periculo, Saxones iterum malèconscii invocant, illi frequentibus ad communitatem literis, ut Senatui obediat, hortantur. † Æs alienum tanti non esse, ut propterea politiam divellant, opem se collaturos, & consilia ad levamen, sique petant, centum aureorum millia, quibus creditores magis importunos sedarent, mutuò daturus. † Omnia communitati suspecta, quæ à Saxonibus veniebant: syncerū non esse consilium, quod non emendat, sed mutat malū. Non mutuare sine usuris Saxones, nec fidem nudam sequi, sed pagos & arces in pignora velle, inter quæ, & mercem potentiores non distinguant.

## XI.

Rursus electi cum opificum magistris desideria communitatis urfuri Curiam accedunt, congregata fuerant quinque se-

natorum collegia, † & in iis Henricus Kelner Quatuorvir primarius, hunc de præfectura Kappelndorff, quanti vendita esset, aut oppignorata? interrogant. Ille è subsellio in pedes elatus, proditoriè sibi, & nequiter imputari venditum à se Comitatum, respondet. Momordit dicti acerbitas electos, illumque ipsum esse reponunt, qui citrà Senatùs & communitalis consensum Ducibus tradiderit: ad hæc ille, *quid communitas?* simulque † dextrâ pectus suum percutiens: *hic stat communitas,* ait. Paucis verbis, quæ impetus protruserat, vitam perdidit. † Electi blasphemiam in Remp. esse inquit, quod hic homo se communitatem jactet, expectaret in carcere, usquedum de facinore statueretur. Atroci metu perculsi Senatores, quod intendi carceres Quatuorviro audirent, pejora sibi metuentes, si hoc in tribunoplebis fieret. Rogant † ergo Magistros opificum, & electos, ne vim Kelnero inferant, Saxones injuriam pro sua habituros, si quid ei in causa Kappelndorffensi contingat. Securitatem publicam, jura, privilegia subversionibus exponi. Noverant electi solita Curiaè terculamenta, nec Kelnerum, priusquam populo retulissent, dimittere volebant: tandem ad interpositionem † Senatùs domum eundi licentia eâ lege data, ut prius stipulata manu, vitâ & bonis, se citrà Senatùs & communitalis licentiam urbe

*Kelnerus sit per Kaplendorff interrogatur.*

*Superba est Respon-*

*sio. Eâ sibi exilium parat.*

*Senatus pro Kelnero intercedit.*

*In sua domo arrestatur.*

*In templum  
S. Viti fugit*

*Carceri mā-  
cipatur.*

## XII

*Verū com-  
munitas ad  
Moguntinū  
deferendum  
negotiū cē-  
set.*

*Disuadet  
quintum Se-  
natus Colle-  
gium.*

*Saxones ter-  
ritoriales  
Dominos  
vocat.*

*Contradicat  
communitas*

*Saxones  
communita-  
tem objur-  
gant.*

non egressurum, caveret. Ille tantos ci-  
vium ausus, quos non præviderat, ex-  
pertus, ne domi quidem suæ tutum se-  
lore credens, in templum † S. Viti confu-  
git † ibi per octo septimanas sub asy-  
tutelâ mansit, iis autem exactis, cum man-  
sionem hanc pertæsus ad domum suam re-  
verteret, fugam meditari spargitur: fama  
nocuit, igitur ut certius teneretur, † car-  
ceri mancipant.

Sed interim primum communitatis de-  
siderium, examinandi rationes frustra-  
tur. Facile collegit illa, quo sine Sena-  
tus cunctaretur, ea propter iterato †  
rem ad Civitatis Dominum, Mogunti-  
num Electorem deferendam conclusum  
est. Sed denuò quintum collegium om-  
nibus modis consilium dissuasit: † cum  
Saxonibus communicandas necessitates,  
ad eos tanquam territorii † Dominos  
hanc curam pertinere, atque ad opem se-  
toties obtulisse, ni velint, ut per eos sibi  
benè sit, curaturos, ut sit malè. Nega-  
vit populus † territorii Dominos Land-  
gravios. Urbem Moguntinæ Sedis esse,  
cujus providentiâ toties adversitates supe-  
raverit. Confestim populi conclusum  
Saxonibus nunciatur: † Hi graviter pe-  
literas id ipsum exprobrant: relata sibi te-  
meraria communitatis consilia, quod mis-  
sis legatis Moguntinum dissidii civilis judi-  
cem invitare, id est, fugatâ libertate pe-  
regrinum Principem introducere velit,  
pati